



Vviligifus natione Saxo in uilla Strongingen infimę conditionis patre Hamaxurgo plaurario natus fuit. Ipse uerò ingenio quasi diuino erat præditus, atq; omni genere optimarum uirtutum excultus. Itaq; literarũ doctrina & prudentia adeò excreuit, ut Ottonis secundi Romanorum Imperatoris archicapellanus fieret. Cum autem summa modestia et pietate idem officium optimè exequeretur, ab eodem Ottone in Moguntinæ sedis fastigiũ collocatus est, anno salutis humanæ 976. postea etiam cum electores Imperij ab Ottone 3. quem ipse educarat, constituerentur, ipse primus Coloniensis elector factus est. Ipse uerò cognoscens quàm facile genus humanum rebus secundis superbiret, atq; in uitia laberetur, ut sui generis & conditionis sepius atq; facilius reminisceretur, in priuato cõclauis, ad quod solus clauem habebat, rotam in pariete depingi fecit, cum hac inscriptione, Vuiligife memineris quid sis, & quid olim fueris. Hęc rota postea insignie archiepiscopatus datum, atq; à Heĩnrico 2. Imperatore confirmatum fuit. Hac ratione factum ut Vuiligifus uiuum humilitatis exemplar per triginta sex annos optimè ecclesiam Moguntinam gubernaret, adeoq; Deo & hominibus gratus esset. Tandem uerò annis & laboribus consumptus, cum multa hinc inde monasteria & templa erexisset, in domino obdormiuit, anno 1011. quo tempore Cæsar Babenbergensem Episcopatum fundauit. Zieg.

Anonim.